

Pontifices praeceperint celebrari Festum Conceptionis Marię. Cardinalis Gotti in suo opere Italico, cui titulus, *La vera Chiesa*, ut Piciniqum in sua audacia confundat, utitur responsione Cardinalis Bellarmini, & advertit pro confirmatione, quod Clemens XI. in Bulla, qua sanxit Festum Conceptionis celebrari de precepto ab universis Christi Fidelibus, ne diceretur per illam decidisse Mysterium, & non in idem venire institutionem Festi, & definitionem articuli, apposite titulum Constitutionis sic disposuit: *Ut Festum Conceptionis Beate Mariae Virginis Immaculae de precepto ubique in posterum observetur*: Ubi serio animadvertendum, non dixisse, *ut Festum Immaculae Conceptionis*, sed, *ut Festum Conceptionis Beate Mariae Virginis Immaculae*; ut ostenderet verbum *Immaculatae* non cadere supra Conceptionem, sed supra Virginem Mariam, confirmando quod diximus, Festum esse quid distinctum ab articulo. Hinc notanda est particularis notitia, quod cum extra Urbem in quadam Italię civitate impressa fuisset Constitutio ordine inverso, nempe sub hoc titulo, *Ut Festum Immaculatae Conceptionis Beate Mariae*, indoluit Pontifex, & sub die 12. Octobris 1709. loci Ordinario commisit, ut acriter moneret illos, qui huic alterationi dederant manus, & iussit supprimi impressionem vitiatam.

Ex hac facti serie deducitur, dari definitionem petitam non esse expediens Ecclesię: quia cum ex responsis hucusque datis, quod articulus non est definitus, stabiliatur in Ecclesia locus Theologicus in auctoritate Patrum fundatus, & vindicetur a conviciis hæreticorum; data definitione ruet responsio nostrorum doctorum, & stabilietur hæreticorum objectio. Quare concludendum, dari definitionem petitam non esse expediens Ecclesię.

XVIII. Secundo non expedit auctoritati Pontificum. Definitiones ex Cathedra quoad ea, quæ sunt fidei, & morum, sunt infallibiles. Ita affirmant Orthodoxi Theologi contra Heterodoxos. Hæc autem infallibilitas oritur ex eo, quod supremus controversiarum fidēi, & morum Magister, & Judex Pontifex Romanus super specula positus videt, & agno-